



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 117. Controversiæ circa residentiam Episcoporum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. A.C. 1546. scopis attribuere æquitas, ac omnimoda necessitas suaderet, cum Regulares sua privilegia nimium extendissent, ac nunquam decentiæ limites excessissent; de cetero autem Episcopis quoque graviter inculcandum statuebatur, quatenus & ipsi erga Religiosos sese ita gererent, ut hi nullam querendi ansam habeant: cum autem Fesulanus, Aquinatenfis & Calaritanus Episcopi Decretum ita temperatum nimis adhuc Regularibus favore censerent, sibi haud imperare poterant, quin hoc Decretum ipsis minus probari testarentur, verum nil propterea in hoc Decreto fuit emendatum (\*).

## §. CXVII.

*Controversiæ circa residentiam Episcoporum.*

*Pall. c. 6. n. 1.* **D**ecretum illud, quo Episcopos ad conditiones per se ipsos habendas adstringi declaratum fuerat, occasionem Paceco suppeditabat, ut palam assereret,

---

(\*) Rursus summa Continuatoris incuria deditur, cum ex Scriptoribus sine omni delectu, ac circumspicione quævis obvia describat: in hoc loco ex Pallavicino hanc contentionem enarrat, ac Decretum adeo temperatum æque Fesulano, ac Calaritano & Aquinatenfi Episcopis displicuisse



ret, nihil circa hoc caput stabiliri posse, nisi simul Episcopis in suis Dioccesibus residendi lex imponeretur, cunctaque obstacula hujus legis executionem præpedientia amoverentur. Tunc plurimum erat opinio, id a Paceco ideo propositum, ut Patres velut in Labyrinthum prorsus inextricabilem conjiceret, hocque artificio eos a dogmatum examine distraheret, præcipue cum hac super re tunc primum mentem suam aperiret, postquam in Conventu die vigesima octava Maji habito de fidei articulis omnino agendum esse, decretum fuerat. Ad hujus sententiam Legati quoque satis propensi erant, prout ex eorum literis hac de re Romam datis elucet. Itaque hoc idem argumentum rursus in generali cœtu die nona Junii celebrato proponitur, ubi Giennensis Episcopus proluxa oratione differuit de incommodis Ecclesiæ ex Pastorum absentia imminentibus, nec non de pœnarum gravitate, qua a suis Dioccesibus absentes

O o 3 coer-

cuisse scribit, cum tamen Pallavicinus l. c. hæc de Fesulano dicat; *Aliqui ac præ ceteris Fesulanus angebantur ob reformatum Decretum*; de aliis vero duobus hisce Episcopis addit: *alii e diverso, inter quos Episcopi Aquinas, & Calaritanus, verba magis Regularibus faventia flagitabant.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1546.



Sæc. XVI.  
A.C 1546.

coercendi essent: „ Huic vero malo re-  
„ medium haud magis opportunum op-  
„ poni posse aiebat, quam usum Syno-  
„ dorum Provincialium restituere, præ-  
„ cipue cum hodierno tempore Ecclesiæ  
„ disciplina tantopere sit labefactata, ut  
„ integro abhinc Sæculo nec unica Sy-  
„ nodus in Hispaniis fuerit celebrata. „  
Nihilominus circa hanc quæstionem in  
varias opiniones secessere Episcopi.

## §. CXVIII.

*Varie opiniones circa hanc quæ-  
stionem.*

*Pall. c. 6. l. 7.* Patrum potissimi in hoc convenerant,  
Episcopos re ipsa ad residendum ef-  
se obstrictos, ex quonam autem jure hoc  
onus descendat, quæve pœnæ absenti-  
bus sint imponendæ, diversa erat diver-  
forum sententia; eorum enim pauci po-  
stulabant decidi, quod hæc residendi ne-  
cessitas juris sit divini, alii vero puta-  
bant, quod juris sit mere Ecclesiastici:  
circa pœnas autem transgressoribus in-  
fligendas, nonnulli præter veterum Ca-  
nonum pœnas nequaquam novas esse  
statuendas censebant, alii vero illos dun-  
taxat proventibus privandos, eisque cun-  
cta officii in suis Ecclesiis exercendi ju-  
ra per integrum annum adimenda con-  
tendebant. Nec deerant plures, qui hu-